

CÓNCIO V.

stoli sui meritis, quem de mari vocati, suffragantibus, imperavit mari et ventis et facta est in ipsa hora tranquillitas magna, ut omnes qui in navi erant mirarentur. Revertentes vero Coloniā denarios reddiderunt, pellem beato Andreas gratia offerentes, collati non immemores benefi-

cii. » Ita ille. Quid hac re mirabilius? Pellis ursi, ad cultum S. Andreæ destinata et coempta, mare compescit: quid non faciet ipse apostolus? Nunc ergo et nos, auditores; veneremur et invocemus in nostris necessitatibus.

IN FESTO SANCTI NICOLAI.

EVANGELIUM. MATH. XXV.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis parabolam hanc: **Homo quidam peregre proficisciens** vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. Et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter, et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unam acceperat abiens, fudit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque talenta, superlucratus sunt. Ait illi dominus ejus: Euge: serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge: serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti et congregas ubi non sparsisti: et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondes autem dominus ejus dixit ei; Serve male et piger, sciebas, quia meto ubi non semino et concrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis et veniens ego recipissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.

CONCIONES.

- I. *Quinque talenta ad meritum exercenda et in Ecclesia dispensanda, dispensala a Sancto Nicolao; quinam defodiant.*
- II. *Cur instituendum aliquando judicium universale.*
- III. *Unumquemque suis talentis contentum esse debere.*
- IV. *Quid debeant parentes liberis.*
- V. *Quid debeant liberi parentibus.*
- VI. *Usura damnatur.*

- VII. *Documenta evangelica.*
- VIII. *Mysteria evangelii.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Vitra perniciosa qui parentes imponant filiis suis.*
- II. *Nicolaus quomodo victor populi fuerit.*
- III. *Virga tribulationis honesta, utilis, jucunda.*
- IV. *Quis fidelis Dei servus.*
- V. *Quid non imponere debeant liberis parentes.*

CONCIO I.

CONCIO I.

QUINQUE TALENTA AD MERITUM EXERCENDA ET IN ECCLESIA DISPENSANDA, DIPENSATA A S. NICOLAUS; QUINAM DEFODIANT.

I. Gratia. — II. Scientia. — III. Potestas jurisdictionis. — IV. Ingenium et ratio. — V. Divitiae.

THEMA.

Abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Matth. XXV.

Pungi solet Christi judicantis imago, cum viridi ramo a dextris, et nudato gladio a sinistris. Cujus picturæ ratio ex hodierno evangelio desum potest. Venit enim dominus, qui talenta servis suis ad negotiandum distribuerat. Primo quidem ad servos bonos, cum viridi ramo præstantissimæ laudis: *Euge: serve bone et fidelis, etc.* Quid juavius hac voce? Venit deinde ad servum pigrum cum gladio condemnationis: *Serve male et piger,* inquit, *tollite ab eo talentum, et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Quid durius hac increpatione? Itaque dupli hac voce invitat nos dominus ad negotiandum cum talentis nobis creditis: promissione gloriæ et comminatione pœnæ, et videtur nobis dicere id apostoli. I. Cor. IV. *Quid vultis! In virga veniam ad vos? An in charitate et spiritu mansuetudinis?* Quia vero neminem ita insanire arbitratur, qui virginem Dei experiri malit in adventu ejus, quam charitatem, qui que audire malit: *Serve male et piger,* quam: *Euge: serve bone et fidelis?* idcirco ad hoc totis viibus conemur, ne talenta nobis credita in terra defodiamus.

Quinque diversa talenta reperiuntur in sacris litteris, per quæ quinque potissima dona hominibus a Deo data ad meritum et dispensationem, possunt intelligi; talentum auri, argenti, ferri eris, plumbi: hoc Zach. V. reliqua quatuor, 1. Par. ult.

I. Primum talentum auri, gratiam significat, quæ animam dita et cætera dona superat, ut aurum alia metalla. De hac apost. II. Corinth. VI. ait: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In vacuum autem recipiunt gratiam, qui ea non utuntur ad id ad quod data est illis. Datur autem nobis non tantum ut vestis instar animam ornet, et Deo gratam faciat: sed etiam ut gladius et scutum ad vitanda in posterum peccata et peccandi occasiones evadendas: velut instrumentum artis ad dignos penitentias fructus faciendo, quibus redimamus pœnas peccatis nostris debitas: ut aurum vel pecunia ad comparanda merita gloriæ et significanda opera

nostra, quo Deo placeant et gloriam mereantur, si et minima sint, velut equus ad prompte et suavit conficiendam viam mandatorum, velut ignis ad calefaciendos et accendendos etiam proximos. Quare merito de ea Sapiens dixit, Sap. VII. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei.* Hunc vero thesaurum in terram defodunt et abscondunt omnes, quid ad non prædictos fines gratia utitur. Idecirco enim in baptismo, confirmatione, aliisque sacramentis gratiam accipimus, ut cum ea negotiatur et lucrum faciamus, ut discimus ex apostolo, II. Corinth. I. ubi ait: *Unxit nos Deus, qui et signavit (Græce sigillavit) nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Constat ungi consuevit milites et luctatores, signari vero cursores (quemadmodum et hodie Judei et certatum cursus electi, sigillari in fronte solent). Ergo ad hoc uncti sumus gratia Dei, ut pugnemus: ad hoc signati, ut curramus pro bravio. Cum ad Saulem dixisset Samuel, 1. Reg XV. *Me misit Dominus ut ungerem te in regem, statim subiecit,* II. *Nunc ergo audi vocem Domini, vadde et percute Amalec;* idem multo magis nobis dici existemus. Saulem enim unxit Samuel tantum, nos autem Deus, ut audivimus ex apostolo. Ergo si uncti sumus, et a Deo quidem, audiamus ergo vocem Domini et percutiemus Amalec, hoc est, diabolum, mundum, carnem, vitia nostra. *Idcirco,* inquit S. Chrysostomus, hom. XIII. in Matth. *Arma acceptisti, non ut otieris, sed ut pugnes.* Fecit hoc apostolus, qui 1. Corinth. ait: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem sed gratia Dei tecum.* Similiter S. Nicolaus, qui nequaquam otiori cum gratia Dei, sed a pueri statim negotiari voluit, dum adhuc infans, singulis quartis et textis feriis semel tantum ubera matris suxit. Puer deinde factus et juvenis, aiorum juvenum devitans lascivias, ecclesiarium potius trivit limina. Ad hæc ingenti studio salutem animarum quæsivit.

II. Secundum talentum argenti scientiam significat Scripturæ et verbi Dei, quod sonore est prædicandum quomodo et argentum quoque sonorum est. Hoc enim mandavit dominus, Matth. X. *Quod dico vobis in tenebris, inquit, dicit in lumine, et quod in aure auditis, prædictare super tecta.* Cum enim verbum Dei res sit omnibus hominibus aperte necessaria, ideo quibuscumque indigentibus debet communicari. Si quis abundaret patribus, et parvulis esurientibus eos communicare nollet, sed reluderet in cista, anno graviter peccaret, præsertim si sciret panes inde non minuendos? Sane quatuor illi leprosi, IV. Reg. VII. cum viderent castra Syrorum deserta et virtualibus

IN FESTO SANCTI NICOLAI.

redundantia, Samariam vero civitatem obsessam et fama afflietam; *Si tacuerimus, inquiunt, et non luierimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur.* Quomodo igitur non arguentur, qui cum alii communicare verbum Dei possunt, pro occasione oblata non faciunt? His enim dicitur, Prov. XI. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Hoc vero talentum abscondunt, non solum qui docti cum sint, alios docere nolunt, sed etiam qui verbum Dei auditum, aliis eum possunt ac debent, non cūmunicant, veluti parentes, qui non docent liberos. Multo magis peccant, qui idem memoria non retinent, sed mox oblivione sepieliunt. Item qui multa bona sciunt et audierunt, non tam secundam ea vivunt. Ad hæc: *Virilatem tuare, est aurum abscondere,* inquit Evagrius. Videatur etiam qui cum legere et scribere didicerint, nihil unquam spirituale legunt, nec peccata sua litteris adnotant pro facienda confessione, quando inde fit, ut multa obliviscantur et confiteri negligant. Similiter qui de animæ periculis cavendis alios premonere cum possint, nolunt. Scimus enim quid evenerit Jonæ, quando jussus a Deo prædicare Ninivitis instans illis periculum subvertendæ urbis, renuit et fugit a facie Dei, non ita S. Nicolaus, qui a juventute sedulo Dei verbum audire studuit, et quidquid in concionibus de sacra Scriptura intelligere poterat, memoriae commendabat, ut habetur in ejus vita. Idem in Palæstinam profectus, horribilem tempestatem nautis sereno cœlo prædictis, coartansque precipibus sedavit. Idem contra edictum Maximiani fidem liberrime prædicavit, et cum longe abductus esset in carcere, in quo positus prædicare non destitit, captivos ad martyrium accedit.

III. Tertium talentum ferri, potestatem jurisdictionis denotat, quia ferrum omnia domat. Hanc probe exerceri et nequaquam abscondi præcipit Deus, Jerem. XLVIII. cum ait: *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine,* id est, qui secundum aliquod vulnus cernit, et tamen separe recusat, ut ait S. Gregorius, III. p. pastoral. ad non. XXVI. Quod utique de judice et magistratu et intelligendum; de hoc enim ait apostolus, ad Rom. XIII. *Non sine causa gladium portat Dei enim minister est.* Atqui frustra gereret, si insontes non educeret. Tales etiam magistratus, idola vocat Deus, Zach. XI. *O pastor et idolum,* inquit, derelinquens, gladius super brachium ejus, et super oculum dextrum ejus, quasi dicat: *Quis non tam judex quam judicis simulacrum ligneum,* est, educere gladium nolens, ideo dignus ut gladius divinæ ultionis in eum animadvertat. Quod regi Achab prædictum, fuit, II. Reg. XX. cum dimisisset Benadab regem Syriæ: *Quia dimisisti virum*

dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus; quod paulo post ei contigit, cum in prelio a Syris occisus est, III. Reg. ult. Sapiens quidam At heniensis, ut refert Tympius, in specul. Magist. p. II. sig. LI. missus erat a senatu Lacedæmonum, ut observaret quibusdam legibus ac institutis civitas regeretur. Reversus in patriam, vocatus a senatu est, ut sui itineris rationem redderet, tandemque rogatus, quomodo Lacedæmonii rem publicam administrarent? Fune, turca, gladio, aliisque exquisitis tormentorum instrumentis in senatu depositis: *Hæc, inquit, sunt leges.* Lacedæmoniorum in his civitatis salus et administratio ponitur, quasi diceret; non in legibus condendis, sed in observandis urbis administratio consistit. Ut enim opes in arca posite non prosunt hominibus si non exponantur, ut pharmaca in pharmacopolio si non adhibeantur; ita leges quoque tabulus inscriptæ mortuæ sunt nec prosunt civitali, si non rigide observantur. Quare optime Seneca dixit: *Pinguorem mactari victimam non posse quam hominem sceleratum:* et M. Cata dicebat eos magistratus, qui maleficos pœnis non coercent, non tantum non ferendos, sed apidibus obrendos esse, ne ex pœna neglectu alias reipublicæ labefieret, inquit Plutarchus, in ejus vita. Nocet enim bonis, qui parcit malis. Porra quanto justiciæ zelo arserit Sanctus Nicolaus, ex eo patet, quod tres cives Myrenses, nequitia iudeis inique condemnatos et jam gladio carnificis subjectos, mirabili animositate eriperit, excutiendo gladium carnifici et arguendo judicem, communandoque accusationem apud imperatorem. Item, quod tres tribunos legatos Constantini Magni fraudi malorum nisi destinatos itidem liberarit, arguendo per visum imperatorem, et communando illi prælum atque interitum totius familiæ, ut in ejus vita.

IV. Quartum talentum æris naturæ bonum est, ingenium et ratio: quia, ut æs ex se aptum est in alia converti et in quamvis figuram facile transfundì, sic ratio, ingenium et indoles naturæ, quæ bene et male efformari possunt pro ratione disciplinæ, aptaque sunt ad bonas et malas, utiles et inutiles artes addiscendas. Talentum hoc sepieliunt, qui rationem et ingenium ad noxias et inutilia perdiscenda vel tractanda applicant: veluti qui fabulis et jocis se et alios pascunt; qui omnis generis ludos exactissime perdiscunt, conanturque alios in his vincere; qui novas adveniunt vestes et vestiendi rationes; qui moriones agunt; qui relictis utilibus et sanctis librīs, ludicos evolvunt et amatiores. Testatur hoc D. Gregorius, hom. in evang. Talentum in terra abscondere, inquit, est acceptum ingenium ter-

CONCIO I.

renis actibus implicate, lucrum spirituale non quærere, cor a terrenis cogitationibus nunquam levare. » Sic ille. Idem agunt qui secundum rationem non vivunt: sed velut bestiæ sensualitatem tantum sequuntur. S. Augustinus, epist. LIX. ad quemdam discipulum suum Licentium nomine ingeniosissimum et litteris excultissimum scribit: « Si calicem aureum invenisset in terra, donares illum Ecclesia Dei, accepisti a Deo ingenium spiritualiter aureum, et ministras inde libidinibus, et in illo Satanæ propinas te ipsum? » Omnes isti cum Domitiano imperatore dum regia et utilissima negotia tractare possent ac deberent, muscas aucupantur; siquidem ipse certam quotidie pensum horarum muscis capiendis, et acuto stylo configendis dabat, ita ut propterea vulgi fabula fieret. Refert S. Hieronymus, in reg. monach. c. XV. se moribundum aliquando raptum ad judicium, et a judice interrogatum de conditione Christianum se respondisse. Ad quod judex: *Mentiris: Ciceroniamus es non Christianus.* Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (oblectare enim se solebat gentilium potius auctorum lectione quam sanctarum litterarum); itaque ex judicis sententia dire flagellis cœdi adstantiumque precibus ad corpus redire jussus est, dolorem adhuc sentiens et plagas scapulis gerens. Si hoc actum est Hieronymo quod gentilium librorum lectionem adamasset, quale, pulamus judicium illos expectat, qui profanis et noxiis studiis toti addicti sunt? Huc etiam pertinent qui cum patriæ et reipublicæ prodesse possent, ob naturæ et ingenii præstantiam, malunt tamen otiosi desiderare quam aliquid peragere ad communem reipublicæ salutem. Cum pars sit propter totum, æquum est, ut toti serviat etiam cum damno proprio, et magis ad publicum, quam ac privatum bonum respiciat. *Turpis est omnis pars,* inquit S. Augustinus l. III. confess. cap. VIII. *toti suo non conveniens et congruens.* Carthaginenses mulieres neglecto cultu proprio raserrunt capita sua, et capillos contulerunt in usum funium militarium quorum penuria laborabit civitas, teste Plut. in lib. de usura. Pudeat ergo viros qui cum possint, ad bonum reipublicæ nihil conseruent. Non abscondit hoc talentum S. Nicolaus, qui propriam quietem vitæ contemplativa, quam ibi elegerat in eremo terra sanctæ, et postea in monasterio, ad Dei monitionem deseruit, et ad oves suas redit, quo alis etiam prodesset. Idem totum se alis impedit, omnibus semper ad se accessum faciendo et consulendo.

V. Quintum talentum plumbi, significat divitias, quia viliores cæteris bonis. De harum dispensatione dicit Ecclesiasticus, c. XXIX. Perde-

pecuniam propter fratrem et amicum tuum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem: et Prov. XI. Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium. Porro non illi tantum abscondunt et defodiunt pecuniam, qui ex avaritia non communicant: sed etiam prodigi, qui male et inutiliter expendunt in vestium et conviviorum luxum; qui morionibus, histrionibus, assentatoribus, ac commissariis erogant, qui in tabernis subtus dolia defodiunt, qui aleis absumunt, qui in res inutiles, sclopeta, facetas, canes, etc. expendunt, cum possent ea pecunia maxima lucra facere, tam in sūtum, quam aliorum commodum, si nimis inde pauperes familias recrearent, templum aliquod ornarent, dotarent inopes puellas, sustentarent pauperes studiosos, liberales essent in bene meritos, mutuum darent indigentibus, emerent pios libros et sanctorum vitas ad pascendum subunde spiritum, eorumdem lectione, etc. His, inquam, et similibus modis daretur pecunia nimirum ad ingentia lucra paranda. Unde gravissima sane ratio reddenda erit aliquando Deo propter iste bona, quibus tot in cœlo coronæ parari poterant; nihil vero paratum est. Quis enim Dominus non dure exciperet servum, qui missus, cum pecunia plurima ad comparandas merces pretiosas, nihil aliud emisset secumque ferret, præter nugas et puppas infantiles? An nescimus quomodo hoc talentum expenderit S. Nicolas? Postquam paternam hereditatem accepit, non cogitabat quomodo eam conservaret vel augeret, sed quomodo utiliter expenderet, succurrebat viuis et pupillis pecunia et consilio. Imprimis vero tres illas pauperes filias cœvis Patarenis jamjam prostituendas, impudicitia servavit, ut ruptui tradererentur. Atque ita non corpus tantum, sed et animas earum ab interitu liberavit. Item famis tempore suæ civitati providit de navi plena frumento. Ipse etiam sibi omnem superfluitatem interdixit, et vix necessaria concessit, tam in vestitu quam in victu. Denique, quia omnia talenta sua non in terram fodit, sed optime impedire, tandem meruit etiam anima suam in manus Dei tradere. Moriturus enim cum oraret Psalmum: *In te, Domine, speravi, in eo versiculo: In manus tuas commendō spiritum meum,* reddit Deo spiritum. Idem sperare possumus, si sequamur ipsum.

IN FESTO SANCTI NICOLAI.

CONCIO II.

CUR INSTITUENDUM SIT ALIQUANDO JUDICIUM UNIVERSALE.

1. Ex parte Dei: Ut appareat ejus justitia privata.
2. Ut appareat ejus justitia publica et universim.
- II. Ex parte Christi: 1. Ut honor ei ablatus restituatur. 2. Ut appareat ejus judicium æquissimum.
- III. Ex parte iudicandorum: 1. Et unusquisque perfectam acceperit mercedem. 2. Ut corpus simul cum anima capiat suam mercedem. 3. Ut operum etiam fructus et effectus remunerentur.

THEMA.

Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis
Matth. XXV.

Satis, ut opinor advertimus, quis sit iste homo qui peregre proficiscitur et post multum temporis revertitur ut ponat rationes cum servis suis. Et si nos nesciamus dicit id nobis S. Gregorius, homil. IX. in evangel. *Quis itaque iste homo est,* inquit, *qui peregre proficiscitur, nisi redemptor noster, qui in ea carne, quam assumperat abiit in caelum?* Itaque hic etiam est, qui revertetur aliquando in judicio universalis positurus rationes cum omnibus servis suis, adeoque nobiscum etiam. Sed forte non satis scimus, quam obrem Deus velit rationes has exigere in judicio illo. Nam in primis indignum videtur Deo, si contendere velit cum homine, rex cum suo mancipio, giga, cum infante vel potius formica, doctor cum rustico. Hinc enim illa Jobi querela: *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris,* c. XIII. et cap. XIV. *Quasi flos egreditur (homo) et fugit velut umbra, es nunquam in eodem statu permanet;* et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium? Deinde, nonne mortis statutum est omnibus judicium testante hoc apostolo? Ad quid ergo iteratum illud et universale judicium in fine mundi. Audiamus.

I. Prima ratio est ex parte Dei ut justitia ejus appareat, et primo quidem illa, qua unicuique suum reddit, prout quisque gessit in corpore suo. Hæc enim Dei justitia parum et obscure hic apparet, dum non solum sepiissime ad longum et quandoque ad totum vitæ tempus peccatoribus connivit, et vicissim pios nullo afficit præmio: sed præterea multoties reprobis multam prosperitatem et abundantiam largitur, pios contra calamitatibus et miseriis premit. Hinc enim aliqui

mortales, illorum felicitatem, horum miseriam considerantes existimare possent, non recte mundum administrari et omnia casu fieri. Sane hæc res vel ipsi Davidi fuit intellectu difficilis, ut testatur Psalm. LXXII. *Existimabat ut cognoscere hoc, inquit, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.* Itaque in die illo, quando recludet Deus sanctuarium justitia suæ, et novissima omnium considerabit, tum demum apparebit Deum vidisse omnia, et notasse in suo libro, tam malorum scelera et prosperitates, quam bonorum merita et calamitates, et haec omnia bene fecisse, vel fieri permisisse, malos videlicet hic præmiasse bonis temporalibus, propter aliqua eorum opera bona moralia, quæ in cœlo nil merebantur: bonos hic ad tempus afflixisse ob leves eorum culpas vel tad exercitum patientiæ. Quemadmodum qui texi apetem figuris varium, inconsiderate videtur agere, dum modo manum textit, modo pedem sine ordine. Sed ubi finita est textura, et tapes explicatur, tum cernitis apposite fecisse omnia. Qui captivos videt triduo ante mortem opipare tractari, variis nimirum escis et vino pretioso, poterit is primo forte cogitare iniquissimum hoc esse, ut nimirum fures, latrones tam laute excipiunt; sed si postea videat illos educi ad patibulum et necari, jam desinet mirari, et invidere illis missa apophoreta; similiter etiam in judicio universalis omnibus patebit, quam æque et bene factum sit quod modo saepè reprobi optime habentur, boni vero pessime; patebit enim omnia cum Dei justitia pulcherrime cohærente. Hujus rei typus fuit David rex, qui in vita sua fuit mansuetissimus et injurias sibi illatas facile toleravit, nec ulcisci voluit; adeo ut Joab aliquando illi diceret: *Diligis odientes te, et odio habes diligentes te,* II. Reg. XIX. at vero quando moriens regnum filio suo Salomonis tradidit, tunc eidem mandavit, ut pro meritis eos tractaret, a quibus bene vel male habitus erat. *Nosti,* inquit *quæ fecerit mihi Job filius Serviæ, quæ fecerit duobus principibus, quos occidit, etc. facies ergo iuxta sapientiam, et non deduces caniliem ejus pacifice ad inferos.* Sed et filii Bercellai Galaditis redde gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurerunt enim mihi, quando fugiebam a facie Absalon fratri tui, etc. Idem fiet in judicio, in quo Deus Filium suum constituet mundi judicem. Itaque nolite, inquit apostolus, I. Cor. XLI. *ante tempus judicare, quod dusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, etc.* In hoc mundo, quasi in nocte versamur, quando ut nos loquimur, vaccae omnes nigrae sunt, nec ab invicem discerni facile possumus. At ibi oriatur Christus ut sol, qui unicui-

que suum verum ac genuinum referet vultum ac colorem.

Secundo, ut appareat aliquando ex instituto justitia Dei universim tempore et occasione conveniente. Nam quatuor sunt præcipua Dei attributa, quæ hominibus manifestari et ad illos diriguntur: potentia, sapientia, bonitas, justitia quædesignabantur per quatuor illa animalia Ezechielis, currum divinæ œconomiae trahentia; potentia per bovem, sapientia per aliquam, bonitas per hominem, justitia per leonem. Jam vero Deus potentiam suam maxime ostendit, quando mundi machinam ex nihilo creavit, terram super stabilitatem suam, id est, super nihilo fundavit, nubes in aere suspendit, cœlum expandit sicut pellem, etc. ita ut firmissime omnia et suapte vi consistant. Sapieniam ostendit in dispositione, conversatione et gubernatione, velut in diversis cœlorum motibus, naturalibus, violentis, celestioribus, tardioribus, quorum interventu fruges et alia prognuntur et conservantur: item in elementorum dispositione, in regnum gubernatione, translatione, ortu, interitu, in viventium omnium mirabili sustentatione, etc. Bonitatem ostendit in mundi recreatione, quando misit nobis Filium suum et tradidit ad mortem, ut pro nobis ille satisfaceret, nosque cum inimici Dei essemus, reconciliaret. Restat igitur, ut aliquando ex instituto et universim ostendat suam justitiam: ut ita qui agnoscere noluerunt Dei potentiam, sapientiam et bonitatem, experiantur tandem justitiam punientem: qui vero agnoverunt, justitiam præmiantem. At licet sparsim aliqui peccatores puniti sunt a Deo in hoc mundo, viçissim etiam præmiati aliqui justi, nequaquam tamen omnes, sed pauci tantum; Dei autem justitia talis esse debet, quæ unicuique reddat id quod suum est: alioquin Deo deesset summa hæc perfectio, hoc est, quod promisit se facturum suo tempore Deus, Ps. LXXIV. *Cum accepero tempus,* inquit, *ego justias judicabo,* id est, justissime. Quemadmodum enim iudex aliquis causas litigantium differt ad certum aliquem diem, in quo omnibus jus reddat, licet interim necessitate exigente, quandoque causas alias obiter expediat, aliquos carceribus constringat, etc. sic Deus quasdam causas obiter hic expedit, sed ibi ex instituto omnium expediet.

II. Secunda ratio est ex parte Christi, primo, ut sic honor ei ablatus publice restituatur, et compensentur judicia potestate ac gloria, sic que impleatur quod dicitur Job XXXVI. *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.* Nemo unquam tanta infamia, ignominia et injuria affectus est in mundo, ac Christus; cum

enim esset Dei Filius et propter vitæ sanctitatem, doctrinam et miracula undique celebratissimus maximus nominis, tandem pro mercede vilissima venditus, et a Judæis emptus, tamquam latro captus, ligatus et falso accusatus est: deinde, ad tribunalia hinc inde raptus, tam a judicibus quam eorum ministris indignissime et scurriliter, tamquam rex fictitious vexatus et illusus, deinde, inaudita insania Barabbae homicidæ posthabitus, demum, inter latrones crusis morte turpissima condemnatus est. Et quid tandem pro toti injuriis et contumeliis, honoris ac præmii consecutus est? Parum sane, aut nihil; etenim resurrectionis et ascensionis ejus gloriam pauci admodum videbunt discipuli tantum ejus. Inimici autem illius nullam ei prorsus honoris et injuriarum compensationem fecerunt. Decet igitur omnino, ut Mardonius iste tandem exaltetur, et equo regio impositus, id est, judicia potestate præditus coram toto mundo, recipiat jus et honorem, quo prius iniquissime fuit spoliatus. Decet ut hic Iosephus, qui innocens cum esset, venditus tamen et in lacum sepulcri missus est, tandem eruatur, et in nubibus cœli veniat, velut in curru regio et tribunalii Dei impositus, mundo præponatur tamquam iudex, rex et dominus universorum, ut sic ante ipsum et nomine ejus flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium et infernorum, juxta illud Isa. XLV. *Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu;* quod apost. ad Rom. XIV. de Christo judicatu intelligit. Et propterea iudicii hujus locus erit vallis Josaphat prope Jerusalem et montem Olivarium (Joel I.), ut quo loco ipse inique captus, judicatus et damnatus, nec non genu flexo ludicre adoratus erat, in eodem videant omnes, eum summo eum honore judicem vivorum et mortuorum, et non jam ludicre, sed serio et cum tremore venerentur et adorent. Tunc adimplebitur, quod dixit Dominus, Luc. XIX. de civibus illis, qui oderant dominum suum et dicebant: *Nolumus hunc regnare super nos.* Rediens enim accepto regno dicet illis: *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficide ante me.* Ante se jugulari præcipiet, quia hoc spectaculo pascet oculos suos et recuperabit honorem suum, illis vero reddet ignominiam. Numirum sicut olim triumphantes, postquam captos hostes duixerunt in triumphum ante currum, mandarunt eos vel mox interfici, vel abduci per lictores in carcerem perpetuum, Cic. in Verrina VII. Tunc adimplebitur etiam quod de seipso Luc. XX. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Omnis qui ceviderit super illum lapidem, conquassabitur, super quem aufer-

cederit, comminuet eum. Reprobatus hic lapis a Judæis et peccatoribus, ibi constituetur loco honoratissimo, omnibus conspicuus: impingunt hic in eum, velut humili jacentem peccatores et conquassantur in anima; sed ibi conterentur cum de cœlo in eos decidet.

Deinde, ut appareat hoc ipsum ejus iudicium esse justissimum, nullique in hoc processu fieri injuriam (novit enim homines esse amatores sui, et seipso etiam reos facile absolvere aut excusare.) Reis publico suppicio afficiendis, publicum prius instituitur iudicium, ut sic omnibus pateat; omniumque calculo approbetur justa eorum condemnatio. At longe gravius est condemnari in perpetuum, ideo testem et approbatorem illius iudicij totum mundum vult esse Deus, iuxta id Sapient. V. *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.* Reperiuntur est aliquos iudices, qui nolunt rationem reddere processuum suorum, ideoque saepe inique alios condemnant, quod aliquo modo cedit in solatum miserorum, quia sciunt se innocuos, et judicem Deum pro se expectant. Sed non ita agit Christus; palam enim ostendet iudicij sui rationem, ideoque nullum hinc solatum reprobis adveniet, quia palam se reos cernent, nec alium pro se judicem deinceps expectabunt. Exemplum hujus ei intuemur illum, qui sine ueste nuptiali, reprehensus est in nuptiis, et mox coram omnibus condemnatus ad tenebras exteriores. Cum enim interrogaretur a rege: *Amice, quomodo huc intrasti non habens uestem nuptiale?* illlico obmutuit; quia nimurum et ipsi, et regi, et spectatoribus omnibus patuit ad oculum id de quo arguebatur, ideoque non potuit non approbare latum in se iudicium.

III. Tertia ratio ex parte iudicandorum, primo, ut unusquisque perfectam accipiat retributionem et mercedem operum suorum, tam reprobi quam electi. Ad perfectam autem virtutis mercedem, pertinet stipendiun et honor: ad peccati vero mercedem, tormentum et infamia. Sic studiosis, qui aliis excelluerint, præmia distribui solent in publicis spectaculis et comediiis, sic Romani victoribus suis ducibus, non solum præmia dabunt, sed etiam triumphum adornabunt. Vicissim insignes malefici condemnari et suppicio affici solent in nundinis, quando frequentissimus adest populus. Modo autem in hoc mundo, justi debitum sibi honorem perraro, aut nunquam acceperunt, præsertim ab iis, a quibus afflitti fuerunt, similiter et reprobi debitam sibi ignominiam non semper, aut saltem non pro merito receperunt; sed saepe illi ignominiose tractati sunt, ut sancti martyres: hi vero gloriose exaltarunt, ut tyranni, qui martyres occiderunt. Opus igitur est, ut aliquando

plena merces omnibus tribuatur. Moris olim apud Romanos erat, ut quotannis certo die solemnis in pompa gestaretur canis in crucem actus, et anser splendide admodum in lectica et ueste stragula pretiosa sedens; ob eam causam, quod anseres in obsidione Capitolii Gallis irruptionem in arcam tentantibus, Romanos clangore et strepitu excitassent, canibus interim somno indulgentibus, Rosin. in antiquitat. Rom. I. VII. Eadem ratione publicum Christus instituet spectaculum in iudicio ad gloriam electorum, qui strenue vigerunt, contra hostes animæ suæ, ad confusioneum vero reproborum, quod somno indulgentes hostibus aditum fecerint. Cogitemus nunc fratres, quanta erit beatorum gloria cum publice extollentur a Christo, et iuxta sedem ejus collocabuntur tamquam amici ejus: qui hic a mundo sprepi et conculcati sunt? Scimus sane Susannam innocentem, primo quidem de adulterio turpiter accusatam et inique condemnatam, jamque ad necem ductam, sed postea majori gloria reductam et in alio iudicio absolutam tamquam innocentem maxima sua gloria: siquidem Daniel interveniens aliud instituit iudicium, in quo innocentem deprehendit et absolvit, falsos vero accusatores reos deprehendit et condemnavit, Dan. XIII. Maximus inde honor advenit Susanna, quod non esset inventa in ea res turpis. Idem etiam eveniet electis, præsertim iis, qui multa inique passi sunt, vel seipso hic humiliarunt, majori enim gloria restitutur illis honor, quam si nunquam eum perdidissent. Hoc est, quod dicit Dominus, Luc. XIV. de eo, qui in mensa conviviali ultimo se posuit loco, et postea evectus est ad digniorrem: *Tunc erit tibi gloria, inquit, coram simul discubentibus.* Similiter ergo quisquis in hac mundi mensa, vel seipsum ex humilitate ultimo ponit loco, vel a potentioribus præter jus et fas deprimitur, ibi exaltabitur tanto magis, et tunc illi erit gloria coram toto mundo: ut apostolus, 1. Cor. IV. ait: *Tunc laus erit unicuique a Deo.*

Vicissim vero reprobi, o quantum confundentur, qui hic primi esse contendunt, et cæteros cubito truserunt! Cum ibi deponentur et audient: *Amice da huic locum!* Ob hanc putemus confusionem dicent montibus: *Cadite super nos,* et collibus: *Operite nos,* Luc. XXIII. Inter alios etiam merito pudenter hypocritæ, qui cum opinione sanctitatis moriuntur, cum vere sint impii, quales sunt Anabaptistæ, et multi Calv'nistæ, erantque olim martyres diaboli, quos Cyriacus, in l. de unitate Ecclesie scribit pro hæresi mortem varie passos esse. His omnibus larva detrahetur, et ovina pelillis, qua lupi cum essent, tecti incedebant. Hoc enim eis comminatur Deus Nahum III. *Revelabo*